This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

350.9493
R29

Ludovicus
De forma regimenis provinciae
Transisalaniae

Library University of Michigan

Digitized by Google

FROM THE LIBRARY OF
Professor Karl Heinrich Rau
OF THE UNIVERSITY OF HEIDELBERG
PRESENTED TO THE
UNIVERSITY OF MICHIGAN
BY
Mr. Philo Parsons
OF DETROIT
1871

Digitized by Google

350.94.95
R29

Digitized by Google

Digitized by Google

6 Dem Herrn Dr. Prau.
zum freundschaftlichen Andenken
von

D. 1

Rcd.

Mgr. v. Rechtern u. Limpurg

PARSONS LIBRARY
University of
MICHIGAN

Juris 1

Digitized by Google

Digitized by Google

DISSERTATIO JURIS PUBLICI BELGICI INAUGURALIS,

DE

FORMA REGIMINIS PROVINCIAE TRANSISALANIAE.

Digitized by Google

Digitized by Google

DISSERTATIO JURIS PUBLICI BELGICI INAUGURALIS,

DE

FORMA REGIMINIS PROVINCIAE TRANSISALANIAE,

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI,

SIMONIS SPEYERT VAN DER EYK,

A. L. M. PHIL. DOCT. MATHES. SUBLIM. ET PHYSIC.
PROFESSORIS ORDINARII,

NEC NON

NOBILISSIMAE FACULTATIS JURIDICAE DECRETO,

PRO GRADU DOCTORATUS,

SUMMISQUE IN JURE ROMANO AC HODIERNO

HONORIBUS ET PRIVILEGIIS,

IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA,

RITE AC LEGITIME CONSEQUENDIS,

DEFENDET

ADOLPHUS, FREDERICUS, LUDOVICUS
A RECHTEREN ET LIMPURG,
TRANSISALANUS.

Die XXVI *Junii* MDCCCXVII. *Horâ* XI — XII.

Adolf Frederik Lodewijk Rechteren Limpurg, graaf van

LUGDUNI BATAVORUM,
APUD HAAK ET SOCIOS,
MDCCCXVII.

Digitized by Google

Digitized by Google

MATRI CARISSIMAE

OPTIMAE,

OMNI AMORE ET REVERENTIA PERPETUO

COLENDAE,

NEC NON

VIRO NOBILISSIMO ILLUSTRI

FREDERICO, REINHARDO, BURCHARDO,
RUDOLPHO, COMITI A RECHTEREN
ET LIMPURG,

DOMINO IN NORDEURINGEN, REGIS BAVARIAE
COPIARUM MILITARIUM DUCI (GENERAAL-MAJOOR) ET MAGNI-DUCATUS WÜRZBURGENSIS PRAEFECTO MILITARI; ORDINI NOBILIUM PROVINCIAE TRANSISALANIAE ADSCRIPTO. ETC. ETC. ETC.

PATRUO CARISSIMO SEMPER
VENERANDO

Quam dispututationem,
et se ipsum
O. A.

Digitized by Google

Sine imperio, nec domus ulla, nec civitas, nec gens, nec hominum universum genus, nec ipse mundus stare potest.

CICERO, *de Leg. Lib.* 3. *Cap.* I.

„ Outre le droit des gens, qui regarde toutes les societés, il y a un droit politique pour chacune. Une societé ne sauroit subsister sans un Gouvernement." La reunion de toutes les forces particulieres, dit tres bien GRAVINA, forme ce qu'on appelle L'ETAT POLITIQUE.

MONTESQUIEU, *Esprit des Loix. L.* I. *C.* 3.

Digitized by Google

PRAEFATIO

Quinque fere anni studiorum, ex quibus biennium, quo tempore odiosam suam dominationem in patriam nostram exercebat Napoleon, in Academia Erlangensi in Regno Bavariae, ducibus Viris Clarissimis, GLÜCK, GROS et MEHMEL, triennium in hac Musarum Sede praeteriti sunt. Nunc igitur cursui Academico finem impositurus, hoc rite facere malebam, dissertationem aliquam inauguralem conscribendo.

Sed difficillimum mihi erat invenire talem ma-

Digitized by Google

materiam, non nimis vulgarem, et tamen viribus meis aequam. Qua de re, quum aliquando colloquerer cum Viro Cl. H. W. TYDEMAN, hic mihi varia proposuit Speciminum argumenta, atque inter alia, quae mihi valde placuit, materiam juris Publici Belgici de forma regiminis Provinciae meae natalis Transisalaniae, quam igitur materiam eligere statim decrevi.

Non ignoro quidem amplam hanc, et ipsa novitate difficilem, materiam vix ac ne vix quidem, pro ut decet pertactari posse a juvene, qui juris publici patriae nostrae scientiam paululum tantum excoluit, ac excolere potuit, sed lectoribus benevolis opusculum meum offero tantum ut specimen academicum, ad adipiscendum gradum Doctoratus. — Materiam ita divisi, ut post Introductionem historicam, *quomodo Provincia Transisalania fuerit formata*, agere conatus fuerim.

IN

Digitized by Google

IN CAPITE PRIMO.

De Collegio Ordinum Transisalaniae, quod Caput rursus in quinque sectiones divisi.

IN CAPITE SECUNDO.

De tribus Collegiis, ex quibus eliguntur Ordines.

IN CAPITE TERTIO.

De Collegio Deputatorum Ordinum.

IN CAPITE QUARTO.

De Gubernatore sive Praefecto Provinciae.

IN CAPITE QUINTO.

De Regimine politico intra Provinciam.

IN CAPITE SEXTO.

De Jurisdictionis exercitione.

Et haec de divisione materiae sufficiant. Super est adhuc, ut Viris Clarissimis in hac Academia Professoribus KEMPERO, HAGEMANNO, praecipue Cl. SMALLENBURGO pro omni benevolentia mihi praestita, tibi autem de me meritissime

Digitized by Google

me Cl. H. W. TYDEMAN, qui me non solum consiliis, sed omni opera, et librorum subsidiis id scribendum plerisque suppeditandis perasti et auxisti, gratias quam maximas persolvam, vestraeque in posterum quoque amicitiae benevolentiaeque etiam atque etiam me commendem.

Scripsi Lugduni Batavorum
die XXI *Junii* MDCCCXVII.

DIS-

Digitized by Google

DISSERTATIO JURIS PUBLICI BELGICI INAUGURALIS;

DE

FORMA REGIMINIS PROVINCIAE TRANSISALANIAE.

INTRODUCTIO.

QUOMODO TRANSISALANIAE PROVINCIA FUERIT FORMATA.

Ante omnia de Transisalania ipsa, et vetusta ejus historia, pauca praemittenda videntur. Transisalania a Septentrione vicinam habet provinciam Frisiam, deinde ad Orientem Drenthiam, ab Oriente Comitatum Benthemiensem, hinc Monasteriensem, a Meridie et porro ab Occidente, provinciam Gelriam et Mare Mediterraneum, quod vulgo Meridionale dici-

Digitized by Google

tur (*a*). Longitudo hujus regionis maxima est quatuor-decem milliarium geographicorum, quorum 15 aequant unum gradum circumferentiae telluris; latitudo maxima excedit octo ejusmodi milliaria, sed aliis in locis longe minor est; unde spatium omne, et vera regionis magnitudo, 63 vel 64 milliaria quadrata efficere statuitur (*b*). Dividitur in tres partes majores, *Salandiam*, *Tubantiam* sive *Twentiam*, et *Vollenhove*: continet tres urbes majores, Daventriam, Zwollam et Campos; 17 civitates minores, inter quas eminent *Hasseltum* et *Stenovica*, et plus quam quadraginta pagos, vel castra sacris aedibus instructa.

Numerus incolarum sub finem praecedentis seculi existimabatur 108,000; novissima hominum recensio in decreto Napoleontis, Amstelod. d. 21 Oct. 1811 edito, numerum habet 144, 996 (*c*).

Verustissimi earum regionum, quae nunc provinciam Transisalaniam constituunt, incolae, quos memo-

(*a*) *Tegenwoord. Staat van Overijssel*, T. I. p. 1.

(*b*) *Tegenw. Staat van Overijss.* T. I. p. 18, 19.

(*c*) *Jaarboek. van het Fransche Regt*, per Vir. Clariss. KEMPER, II. p. 77.

Digitized by Google

morant Annales, fuerunt *Bructeri*. His vero per diuturna bella cum Romanis fortiter gesta, debilatatis, vel exstinctis, *Chamavi* et *Anzibarii*, *Salii* etiam et *Tubantes*, quorum nomina partim in tractibus hujus regionis permanserunt, sedes ipsorum occupasse videntur. Nomen ipsum hujus provinciae proxime ab *Isala* fluvio derivatur; *trans*, id est, ultra quem (scilicet, quod attinet ad Gelriam, Hollandiam, Trajectum,) longe maxima provinciae pars sita est. An vero Salii ab hoc flumine, an flumen ipsum a Saliis nomen acceperit, dubitari potest. Certius est a Francis Saliis ortam fuisse legem Salicam, quae per omnem Europam pluribus saeculis fuit celeberrima (*d*).

Hi igitur populi, quos supra diximus, pluribus aliis nationibus Germanicis conjuncti, communi Francorum nomine, tempore inertis Imperatoris *Gallieni* imperii Romani fines invaserunt, et post multa, variaque bella, sub finem saeculi quinti Galliam ipsam insederunt. Quod eleganter sic retulit HENR. BRUMAN,

(*d*) MONTESQ. *Esprit des Lois*, L. 26. c. 1. VAN DE SPIEGEL *Oorsprong en Hist. der Vaderl. Regten*, p. 17—21. T. D. WIARDA, *über das Salische Gesetz*.

Digitized by Google

MAN. in *Reb. Transisal.* (*e*): Tum (sub Gallieno) Romani imperii moles penitus devulsa, socordia Imperatoris colliso inter se orbe terrarum. — Tum primum Francorum nomen auditum, gentis, quae omnium quotquot Germania protulit, nobilissima, Romanique imperii haud dubie excidium. Hinc tot nationes certatim sibi eam laudem quaesivere, Francorum progenitores fuisse, cum ex veterum monumentis satis pateat, non alia sane initia habuisse, quam ex iis locis quae e regione Bataviae Transisalaniae, vicinique tractus nomine comprehenduntur; nobis ea gloria remanente, nullius populi nomen inditigari in Francorum confoederatione, quam qui Transisalaniam olim incoluerint: — hae gentes, conjuratione facta, indito sibi a libertate Francorum nomine, conspiravere, in vindictam ejus imperii, quod jam tot annos Germaniam opprimere conabatur". — „ Fundato in Galliis Francorum imperio, longe alia rerum facies in Transisalania apparere coepit, exstincto Saliorum, Francorumque vocabulo, seu Saxones, eam tunc occuparint, seu Frisii eo usque ditionis terminos extenderint. De Saxonibus obscurum est. De

(*e*) Apud DUMBAR. *Anal.* T. 2. pag. 19. seq.

Digitized by Google

De Frisiis satis constat per sequentia aliquot secula nomen non Transisalaniae solum, sed et Hollandiae, Gelriae, vicinisque regionibus indidisse (*f*)."

Deinde Frisii ipsi, et sic etiam earum regionum incolae Franco imperio subditi fuerunt, a *Chlotario* II. et in primis ejus filio *Dagoberto* subacti; sub quo rege primus Christianae religionis praeco *Willebrordus* his in oris exstitisse videtur, sed an multum hic profecerit; valde dubium est (*g*). Willebrordus tamen circa finem saeculi septimi, favore Pipini, qui major Domus erat regis Franciae, ad Episcopatum evectus, hujusque sedem figens Trajecti ad Rhenum, occasionem dedit initiis magnae illius ditionis, et potestatis saecularis simul et ecclesiasticae, qua successores ipsius deinde per omne medium aevum gavisi fuerunt, et cui Transisalania quoque fuit subjecta. Majores scilicet progressus religio Christiana his in terris fecisse videtur saeculo octavo, sub Episcopis Trajectinis *Winfrido*, *Bonifacio* dicto, et ejus Succes-

so-

(*f*) BRUMAN *ibid.* p. 42. *Tegenw. Staat van Overijs.* T. I. p. 54.

(*g*) DUMBAR. *Kerkl. en Wereldl. Deventer*, L. 2. c. 1. v. HATTUM *Geschied. van Zwolle*, T. I. c. 4. §. 2.

Digitized by Google

tore *Gregorio*, qui Lebuinum misit et Marcellinum in regiones Isalae vicinas; *Lebuinus* Daventriam et finitima loca, *Marcellinus* Oldensaliam vicinaque loca Tubantum, divini verbi praedicatione illustravit (*h*). Interim hae regiones, cum reliquo imperio Francico, in potestatem venerunt *Caroli Magni*, cui continuo bellandum fuit cum Saxonibus, qui Duce Witechindo has etiam regiones identidem invaserunt et vastarunt; et, licet a Carolo saepius devicti, tanto numero hic haesisse videntur, ut ab hoc tempore, et diu postea, Salandos Saxonibus adnumerare soleant historici; et revera Salandi delegatos suos ad Saxonum conventum publicum, ad flumen Visurgin, mittere soliti fuerunt (*i*). A Carolo Magno ad Saxones identidem rebellantes, et a Christiana religione, quae vi imposita fuerat, desciscentes, firmius in officio et terrore continendos, instituta videntur judicia illa *Vehmica*, quorum adsessores vulgo ignoti oppida vicosque et conciliabula circumirent, moresque et dicta fac-

(*h*) BRUMAN apud DUMBAR, T. 2. p. 47—49. V. HATTUM, T. I. c. 1. §. 3. *Tegenw. Staat*, p. 55-59.

(*i*) *Tegenw. Staat*, p. 56, 57. DUMBAR et V. HATTUM, ibid. cit.

Digitized by Google

factaque cujusque notarent, ac quemcunque perjurii perditaeve religionis coarguiasent, primo quoque tempore, ubicumque comprehendi poterat, necarent: nemini sua dignitas suffragabatur; summi pariter infimique prius laqueo ex infelici arbore suspensi conspiciebantur, quam regi fuisse audiebantur. Quae judicia in Transisalaniam quoque vicinasque ditiones paulatim potestatem exercuerunt, laudemque mereri poterant, quum a probatae fidei hominibus exercerentur; verum ubi odium, ira, misericordia, atque amicitia accesserunt, iniqua haec judicia et publice damnosa facta sunt, et multum fuit laboratum, ut Transisalania ab illis liberaretur (*k*).

Regnante adhuc Carolo Magno, sed multo magis post ejus obitum, regiones Germaniae inferioris multum ab infessis Normanorum depraedatorum incursionibus fuerint perpessae, qui et aliquamdiu varias harum regionum urbes insederunt, et Daventriam ipsam cepisse leguntur anno 882. Non ita tamen in Transisalania nostra haeserunt, quum *Radbodus*, Anno 900. Epis-

(*k*) Vid. REVIUS, *Daventr.* p. 13. BRUMAN. p. 57. 58. v. HATTUM, T. I. p. 399 et 426. *Tegenw. St.* p. 57 sq. et p. 120 et 195.

Digitized by Google

Episcopus Trajectinus factus, ad ipsos evitandos sedem suam pro Trajecto Daventriam transtulisse inveniatur. Sed Baldericus Gorae Comes, in Episcopatu successor, Trajecto liberato, sedem rursus ibidem constituit (*l*). Exinde quiete gavisae sunt hae regiones, quae ipsa tamen Praesulibus occasionem dedisse videtur, potestatem suam, insignibus inprimis donationibus et concessionibus, ab Imperatoribus certatim in ipsos collatis, amplificandi.

Initio Episcopi non ita gerebant administrationem rerum saecularium, sed Advocatis sive patronis Ecclesiarum utebantur. Propriam autem jurisdictionem Episcopatus Trajectini confirmavit Imperator *Henricus* II. anno 1003. *Anfrido* Episcopo tribuens, ne quis homo, sive servilis conditionis, sive liberae, ex terris Ecclesiae subjectis, coram ullo Comite vel Judice super ulla re vel mulcta comparere teneretur; sed omnia per Patronum Ecclesiae Trajectinae terminarentur. Imperator *Otto Magnus* sylvam in Voldenhove concessit Episcopo *Balderico* An. 943. *Henricus* III. Imp. a. 1046. Ecclesiae Trajectinae donavit

(*l*) DUMBAR, *Kerkl. en Wer. Der.* L. 2. C. 5, 6. BRUMAN. p. 56, 59.

Digitized by Google

vit quidquid ipse haberet in civitate Daventria, et partem alteram Comitatus *Amelandiae*, qui magnam partem ejus, quae nunc *Velavia* dicitur, et partes aliquas *Salandiae* et Comitatus Zutphaniensis, comprehendebat. Tractus Islegoae sive Salandiae per Imperatorem Henr. IV. anno 1086 ditioni Trajectinae accessit (*m*).

Post alios deinde Episcopos, multasque turbas intestinas et bella cum vicinis gesta, de quibus hic latius dicere non possumus (*n*), Episcopus *Joannes van Diest* auxit Trajectinam ditionem, arcem terramque Diepenhemensem anno 1331, et alias quoque subinde possessiones, emptionis lege comparando. Similiter *Joannes van Arkel* Episcopus, ditionem *Lage* comparavit, et sedis Trajectinae possessionibus addidit an. 1346; Cuinram oppidum et ditionem an. 1407, Episcopus *Fridericus van Blankenheim*, et Haxbergensem ditionem, Episcopus *Rudolphus van Diepholt* an. 1412 (*o*).

Haec igitur terrarum spatia, quae sic successu tem-

(*m*) *Tegenw. Staat*, p. 59, 60.

(*n*) *Tegenw. Staat*, p. 61 — 85.

(*o*) *Tegenw. Staat*, p. 86 — 90. etc.

Digitized by Google

temporis ad Ecclesiam Trajectinam pervenerunt, et *Almeloae* ditio, quae proprios semper Dominos retinuit, nec unquam Ecclesiae fuit subiecta (unde nomen *Hooge en vrije Heerlijkheid*), et civitates tres majores, Daventria, Campi, Zwolla, quae liberae erant urbes imperii Germanici, et in celeberrimum medio aevo foedus Hanseaticum, urbium mercatura florentium, erant receptae, communi *Transisalaniae* nomine dici coeperunt. Episcopus *Joannes a Verneburg* ab Episcopatu Monasteriensi ad Trajectinum promotus, egregium et laudabile fecit suae gubernationis initium, compluribus legibus constitutis, quae semper deinde memoria moribusque servatae, ipsius juris statutarii novissimi Transisalaniae fundamenta fuerunt (*p*).

Sub eo Episcopo, sed magis etiam sub finem saeculi XIV, Episcopo *Florentio van Wevelichoven* cum tribus majoribus urbibus Transisalaniae conspirante, potentiores nobiles magnam partem debellati, cas-

(*p*) De opere MELCH. WINHOF et ANT. MATTHAEI vid. *Tegenw. Staat*, p. 100. Addatur editio WINHOFII cura *J. A. de Chalmot* curata Camp. 1782. et ipsae leges *Episc.* JOANNIS A VERNEBURG, in RACER. *Overijss. Ged.* T. II.

castraque eorum exusta et eversa fuerunt. Fatendum quoque est, ipsarum harum et inprimis minorum civitatum cives gravia multa per vim nobilium dynastarum passos fuisse. Sic v. c. oppidum *Ommen* Anno 1330. captum et incensum fuisse invenitur „ a Voorstanis Rechteranisque" et hujus facti memoriæ servata his versibus:

„ *Post M, post tria C, ter et X, nox Gregoriique*
„ *Ommen ab his Castris, Voerst, Rechteren flam-*
„ *mat in astris* (*q*).

eversa deinde fuit celebris arx Voorstana; Rechterana vero felicior, veteri sua forma hodie adhuc exstat.

Austriaca domus, postquam ex matrimonio ac successione hereditaria, praecipuas Belgii regiones consecuta fuisset, mox etiam in reliquas animum intendit, et patientia sua vicinos, inprimis etiam Trajectinum Episcopatum, obnoxios sibi reddidit. Ita Anno 1505. Episcopus *Fredericus a Baden*, cum olim Episcopi Trajectini Hollandiae Comitibus vix honore aut potentia inferiores sese agnituri fuis-

(*q*) DUMBAR *Anal.* T. 2. p. 251. p. 347.

Digitized by Google

fuissent, ex mandato *Maximiliani* Regis Romani cum 56 equitibus et 2000 peditibus in castra Regis Philippi, quibus Arnhemia obsideretur, auxiliarius et cliens est profectus (*r*). Imo hic ipse Episcopus deinde, Anno 1517, impulsu et molimine *Maximiliani* Austriaci, Episcopali sede decedere, ut in hanc *Philippus Burgundus* succederet, fuit coactus (*s*).

Hic autem *Philippus*, initio Gubernationis suae, Edicta, ad supplendum Jus Transisalaniae statutarium, promulgavit (*t*).

Quod tandem plane sub Austriacam dominationem redigeretur haec regio, ei rei occasionem dedit longa et vehemens contentio super telonio, quod Campenses anno 1520 sibi arrogabant in effluviis Isalae fluminis, et eo usque extendebant, ut naves ex ostio Vechtae fluvii (*het Zwarte Water*) Zwolla per Genemudam in mare devectas, eidem etiam subjicere vellent. Quae disputatio quum utrimque ad vim apertam

(*r*) REVIUS *Dav.* p. 169. *Tegenw. Staat*, p. 155 et p. 156.

(*s*) *Tegenw. Staat*, p. 166. REVIUS, ibid. cit.

(*t*) RACER. *Overijsf. Gedenkst.*, T. 3. p. 205. WIMPOF *Landr. v. Anerisf.*

Digitized by Google

tam prorupisset, *Carolus Hispaniae Rex*, qui ad Imperium Germaniae pervenerat anno 1520, monuit ipsos, ut arbitrio Domini Episcopi ac Ordinum dioeceseos utriusque, inferioris et superioris, sese submitterent. Zwollani vero cum Duce Gelriae *Carolo* clam consilia tractarunt, et ejus tutelae sese commiserunt, et jurejurando, quod Episcopo Philippo praestiterant, renunciaverunt. Nunc Imp. Carolus armatam militum manum, Duce *Georgio Schenck*, has in terras misit. Sed quum Gelriae Dux illos profligasset, sese totius regionis principem, magis quam defensorem gessit, et v. c. totius regionis Gubernatorem, et alium Quaestorem, constituit, qui Transisalanos sibi obsequi, sub poena bonorum et vitae, jusserunt (*u*).

Gelris deinde anno 1524 depulsis aliqua dissidentium pactio convenit: sed sub Episcopo *Henrico Bavarico*, qui Philippo Episcopo successerat, identidem lites et turbae recrudescebant, quarum taedio et sumtibus tandem fatigatus Episcopus, Carolum Austriacum Imperatorem invocavit. Nunc igitur die condicto, anno 1527, *Florentius Egmondanus*, *Burae Ce-*

(*u*) REVIUS, p. 220. *Tegenw. Staat*, p. 170—176.

Digitized by Google

Comes et *Georgius Schenck*, Gubernator Frisiae, aliique delegati, mandato *Margaretae* Belgii Gubernatricis instructi, advenerunt, ut cum Transisalaniae ordinum Delegatis de mutando regimine tractarent. Quum vero Austriaci nullam aliam pactionem inire vellent, nisi ut Transisalani, Episcopo consentiente, *Carolum* ut Brabantiae Ducem et Hollandiae Comitem, ejusque heredes, in hereditarios Dominos recipeent, tunc quidem nihil conveniri potuit. Sed die jam 7. Januarii anni sequentis 1526 foedus cum Imperatore *Carolo* initum fuit, quo Transisalani hunc, prout obtabat, in Dominum hereditarium receperunt; ipse vero jura ac privilegia ipsorum salva et intacta fore promisit (*y*). Neminem, cui litterarum secreta sunt aperta, oportet eos inhumanae et exsecrandae tyrannidis modus ignorare, quos exercuit, vel ipse Philippus, vel, non ignorante Philippo, ejus Gubernatores et Gubernatrices. Philippo II. rempublicam ita administrante, ut sine armis nihil spei superesset, Transisalani ad societatem Gandavensem se applicarunt, sero ad Trajectinam, serius quoque, quam

(*y*) *Tegenw. Staat*, p. 184—187. RACER. *Gedenkst.*, T. 2. p. 289.

Digitized by Google

quam reliqui Socii, imperium regium suis in finibus sustulerunt. Tunc alia rerum ratio orta est: Ordines imperium susceperunt (*w*), Transisalania in Belgii foederati regionibus sexto loco fuit collocata; Gubernatoribus ex Illustri Domo Nassavica, vel etiam sine his, iisdem, ut Hollandia provincia temporibus, ab Ordinibus suis administrata; donec anno 1795 communem omni reipublicae conversionem et Gallicam deinde dominationem passa est, Anno 1813 liberata.

(*w*) Vid. Ampl. A. G. BEZIER, in Specim. inaug. de juste abdicato Philip. II. Transisal. imperio ob violata privilegia.

Digitized by Google

CAPUT PRIMUM.

DE COLLEGIO ORDINUM TRANSISALANIAE.

Ordines Provinciae Transisalaniae olim componebantur 1°. *Ex Nobilibus*, in Ordinem Equestrem, qui dicebatur (*de Ridderschap*) conscriptis; quales quidem omnes jure suo ad conventum Ordinum poterant adire, modo haberent requisita, legibus Provinciae constituta, de quibus infra latius videbimus. 2°. *Ex delegatis*, a tribus *civitatibus* majoribus, *Daventria*, *Campis*, et *Zwolla*. — Ex nova juris publici regionis nostra forma, Decreto supremi principis (nunc Regis nostri) die 26. Aug. 1814. constituta, nunc eliguntur Provinciarum Ordines ex tribus hisce ordinibus: 1°. *Ex Ordine nobilium*, sive *equestri*, 2°. *E Civitatibus*, 3°. *Ex immobilium possessoribus*. Ad hoc igitur argumentum uberius explicandum accedentes, videbimus:

Digitized by Google

I.

Quaenam, et olim, et nunc fuerint requisita, ut aliquis Ordinum Provinciae nostrae membrum sive socius esse possit.

1. Ordines Generales foederatae Reipublicae circa medium anni 1621 petierunt ab Ordinibus singularum Provinciarum, ut omnes religioni Romanae Catholicae addictos a conventibus suis arcere vellent; et brevi post factum est decretum Ordinum Transisalaniae, ut omnes e conventu suo solemniter declararent: „ se a Religione Romano-Catholica abhorrere, et veram religionem Christianam Reformatam profiteri, et velle propugnare." Imo deinde accessit Decretorum Synodi Dordracenae mentio (a).

2. Praeterea nemo ad Conventum Ordinum admittebatur, qui jurejurando fidelitatis extraneo principi, sive ut subditus, sive muneris publici causa foret obstrictus; excepto igitur jurejurando feudali, nec etiam respiciebatur jusjurandum Ordinibus Generalibus praestitum.

3. Decreto Ordinum die 24 Apr. 1611 jussum fuit, ne homicidii publici, vel adulterii, vel aliorum gravio-

(a) *Tegenw. Staat van Overijss.* T. I. p. 255, 256.

Digitized by Google

viorum criminum rei ad Conventum admitterentur.

4. Neque inter Ordines poterat sedere, qui, e quaestura, v. c. vel administratione pecuniae publicae, ipsis Ordinibus, eorumve Deputatis ad rationes reddendas tenebatur.

Qui dignitatem gerebant militarem non excludebantur ab Ordinum Conventu, sed interesse non poterant iis consiliis, quibus de militia tractabatur (*b*).

Ex nova regiminis forma, ut quis Collegii Ordinum Provinciae socius esse possit, requiritur, ut sit illius Provinciae incola, et aetate secundum legem perfecta, sive majori.

Incolae autem habentur Batavi omnes, qui per annum et sex hebdomades domicilium intra Provinciam habuerunt, vel vectigalia et tributa publica ibi solverunt, nec nocet absentia Reipublicae causa.

Prohibentur autem, ne in Collegium Ordinum eligantur:

a. Judices in Curia totius regni suprema, vel in Curia Provinciae superiore (futura) juridica.

b. Qui munus quoddam, vel officium gerunt, in quo,

(*b*) *Tegenw. Staat*, p. 256—266.

Digitized by Google

quo, si deliquissent, ab Ordinibus ipsis, eorumve Delegatis judicandi forent.

c. Si quis exteris principibus aliqua de causa sunt subjecti; (excepto, sine dubio, etiam vinculo fendali: vid. pag. 17.).

d. Verbi Divini praecones et interpretes.

e. Ludi-Magistri.

Quamdiu scilicet hi omnes munera haec, vel vitae conditionem gerunt. Cautum praeterea, ne socius Collegii Ordinum sit particeps, vel aliquod lucrum faciat ex redimendis vel colligendis vectigalibus, vel operibus publicis, intra suam Provinciam.

I I.

Ordines Provinciae, ut supra diximus, componebantur olim ex *Ordine equestri*, et *tribus civitatibus*, *Daventria*, *Campis* et *Zwolla;* ita ut dimidia pars potetsatis omnis ad nobiles, dimidia ad tres illas civitates conjunctim pertineret.

Nunc vero componiuntur e triplice Ordine 1. *Nobilibus;* 2. *Civitatibus;* 3. *Immobilium possessoribus.*

Numerus Nobilium olim erat indefinitus; admittebantur enim quicunque, et arcis nobilis possessione, et reliquis requisitis, infra latius adhuc describendis, habiles erant, ut in Ordinem suam ad-

Digitized by Google

mitterentur, nunc vero numerus admittendorum Equitum *ad viginti et unum* fuit restrictus.

Tres illae civitates delegare quoque poterant, quot vellent e Collegio Magistratuum suorum; solebant vero quatuor e singulis trium illarum civitatum delegari Consules: nunc vero ex his tribus civitatibus etiam numerus *viginti* et *unus* est mittendus; et ita quidem, ut Zwolla *novem*, Daventria *septem*, Campi vero *quinque* mittant delegatos.

Circa jus delegatos ad Conventum Ordinum mittendi, veteris Reipublicae tempore controversiae nonnunquam fuerunt cum civitatibus minoribus, idem jus sibi postulantibus; quod tamen non obtinuerunt; nisi quatenus civitates *Hasseltum* et *Stenavicum* suffragia rogari debebant, quoties de bello et pace, de jure publico regionis immutando, vel novis vectigalibus tributisque imponendis, ageretur (*c*).

Circa possessores immobilium cautum fuit, ut hi in conventum Ordinum haberent etiam *viginti* et *unum* delegatos, ratione regionum Provinciae nominandos. Divisa nunc habetur Provincia in tres regiones, quae dicuntur ab illorum locis praecipuis, *Almelo*

(*c*) *Tegenw. Staat*, p. 490, 491. PESTEL *in Comm. de Republ. Batav.* §. 312.

Digitized by Google

meloa, *Daventria* et *Zwolla* (*d*); inter quas numerus delegandorum ex hoc Ordine distribuendus foret, habita ratione, non tantum magnitudinis territorii, et numeri incolarum, sed etiam modi divitiarum, et culturae vitae, cett.

In pristina regiminis forma singuli Equites ad vitam suam, Civitatum vero delegati, tamdiu conventui Ordinum interesse poterant, quam a sua civitate continuerentur; nunc vero tempus in Collegio Ordinum sedendi, ratione Sociorum omnium triennio definitum est; (nisi quis in locum, qui interea vacare coeperit, fuerit surrogatus; qui tempus illud tantum explet, per quod fungi debuerat ille, cui succedit). Sed ut quotannis primo die Maji tertia pars ex quolibet ordine recedat; ita tamen, ut iidem delegati continuo rursus eligi, et ad Collegium admitti possint.

III.

Quod attinet modum electionis Ordinum, olim quidem, uti jam diximus, et infra adhuc videbimus, ex ordine Nobilium omnes, qui perfectae forent aetatis, (quae quod ad hanc rem anno vigesimo quarto erat definita,) et caeteris gauderent requisitis, ad

(*d*) *Staats-Almanak*, anno 1816. p. 534.

Digitized by Google

ad Conventum Ordinum accedere poterant, et ejusdem ipso jure socii habebantur; ex urbibus autem, e Collegio Magistratuum, et horum arbitrio, mittebantur Delegati.

Nunc vero delegati ex Nobilium Ordine per ipsum hunc Ordinem, et ex urbibus per Magistratus urbanos eliguntur, et immobilium possessores secundum tres Provinciae tractus, quos diximus, ab ipsis fundorum possessoribus ex ordine suo constituuntur.

Si quis autem v. c. Nobilis, vel majoris civitatis civis, e tertio hoc ordine, vel fundorum possessor a nobilium Ordine, vel aliqua civitate, simul delegetur; ut jam duplici nomine ad Collegium Ordinum accedere possit; ipsius erit electio, quo nomine, et quanam persona computari velit; locus autem hoc modo vacuus relictus intra quatuor hebdomadum tempus erit supplendus.

De possessoribus fundorum in Collegium Ordinum eligendis, diligenter cautum fuit, nova lege super regimine Provinciae domestico, et deinde Decretis ad illam supplendam factis, ut suffragium ad eligendos Deputatorum ex Ordine suo electores ferre possint illi tantum, qui in agris ipsis (non computato igitur, quod intra civitates majores tributi pendunt)

Digitized by Google

dunt) certam pecuniae summam ad illa tributa, quae dicuntur *beschrevene middelen*, conferrent: — sed a suffragio hanc in rem ferendo, excluduntur:

a. Illi, quibus curator, sive personae sive bonorum, fuerit constitutus.

b. Qui fidem creditoribus fefellerunt, vel etiam bonis suis cesserunt.

c. Qui, vel Decreto judicis sub reatu delicti constituti, vel sententia judicis ignominia notati fuerunt.

Hi igitur, quibus jus est hujus suffragii ferendi, a Provinciae Gubernatore convocati, per singulos Provinciae tractus, sive voce, sive tabellis obsignatis, constituunt numerum triplum illius, quot ex illo tractu electores delegatorum hujus ordinis esse debent; ut tamen elector nemo habeatur, nisi qui majorem suffragiorum partem acceperit.

Electores ipsi debent gaudere requisitis ad prius illud suffragium ferendum; sed praeterea majorem pecuniae summam ad tributa publica, et in ipsis agris extra civitates, debent conferre. Hi igitur electores deinde convocati, quotannis per plura suffragia constituunt illos ex Ordine suo Delegatos, quibus ad supplendum Ordinum numerum opus est, nec aliam de re aliqua publica habet consultationem.

Vi-

Digitized by Google

I V.

Videamus nunc de ipsis Conventibus Ordinum; tum ex veteri, quam ex novissima juris publicis forma. Olim *semel* tantum, postea *ter* in anno conventus habebatur solemnis: nunc unus est conventus ordinarius, sed praeterea convocari possunt Ordines, quoties utilitas publica hoc desiderare videbitur.

Antiquo tempore convocari solebant Ordines per Episcopum Trajectinum, vel per ejus Consiliarios, qui sese dicebant: *Raden in zaken dezer landen bevel hebbende* (*e*); et vel Episcopus ipse conventui aderat, vel consiliarios aliquos mittebat, suo nomine de Republica cum Nobilibus et Civitatibus acturos.

Post imperium Provinciae in Carolum V. translatum, in hoc munere successerunt Gubernatores Provinciae ab illo constituti. Liberae Reipublicae tempore convocatio fiebat per primarium e tribus tractuum diversarum provinciae Praefectis, scilicet *Salandiae*. Capita, de quibus agendum foret, tipis impressa, litteris adjectis, quibus ipse dies conventus definiebatur, ab hoc Praefecto mittebantur ad tres

(*e*) *Tegenw. Staat*, p. 278.

Digitized by Google

tres Civitates majores, et reliquos duos regionum, scilicet *Tubantiae* et *Vollenhoviae* Praefectos; Praefecti vero ad singulos in tractu suo Nobiles in arcibus ipsorum (*Havezaten*) litteras illas, et capita ad deliberandum proposita, perferri curabant. Illo tempore etiam, quoties res publica ferret, conventus extraordinarii Ordinum, praeter tres illos solemnes, poterant haberi; in quibus tamen nihil decerni poterat de rebus majoris momenti, quae in litteris convocatoriis expressae non fuissent; scilicet de novis arcibus equestribus constituendis, de privilegiis tribuendis, de muneribus officiisque publicis conferendis etc. sed super his etiam rebus rogatio in conventu extraordinario fieri poterat, de qua in sequenti conventu solemni decerneretur.

Quod si res incidentes, quae tamen proprium Ordinum Provinciae Decretum postularent, non ita magni forent momenti, ut plenum Ordinum conventum haberi opus videretur; ipsae quidem civitates singulatim super illis deliberabant et sententiam suam cum Praefecto Salandiae communicabant, Nobiles autem, Equestri ordini rite adscripti, rogari poterant, ut sententiam suam singuli ad Praefectum regionis suae scriberent; sed tractus Vollen-

Digitized by Google

hoviae Nobiles inter se instituerant, ut tali quoque casu intra civitatem Vollenhove convenirent et conjunctim deliberarent. Hic modus consultandi dicebatur per Epistolas (*bij brieven van omzendinge*). (*e*).

Nunc vero convocatio quotannis solemnis, et illae ad conventus extraordinarios, fiunt per Gubernatorem sive Praefectum Provinciae ex mandato regio.

Reipublicae tempore Praefectus Salandiae, jure muneris sui, in Ordinum Provinciae conventu praesidebat; hoc absente, Praefectus sive Satrapa (*Land-Drost.*) Tubantiae, vel post hunc Satrapa Vollenhoviae; si horum nemo adesset, hunc in locum succedebant Praefecti minores; primo Isselmudae, post hunc Haxbergae, vel denique Judex Supremus, qui dicebatur (*Hoofdschout*), Hasseltae. Nunc autem Praefectus, sive Gubernator Provinciae semper praesidium gerit Ordinum.

Conventus publici regionis antiquissimo tempore haberi solebant sub dio, prope urbem Zwollam in loco, qui dicitur *Spoolderberg*; (*f*) quomodo ad-

no-

(*e*) *Tegenwoord. Staat.* p. 285.

(*f*) DUMBAR. *Anal.* T. 2. pag. 234.

Digitized by Google

mutatum invenimus in Jure Aggerum ab Episcopo *Gufdone* anno 1308 constituto, qui mos ad annum 1502 continuavit; deinde conventus vel in urbe Zwolla, vel Daventria, vel alibi, nulla certa perpetua loci definitione, habiti fuerunt; (*g*) sed deinde convenit, ut conventus Ordinum fierent certa successione per tres urbes Provinciae majores, quod duravit usque ad ipsius Reipublicae eversionem; nunc vero concilium Ordinum congregatur eum in locum, ubi residet Provinciae Praefectus, quae igitur Metropolis habetur Provinciae.

Pristinis in Conventibus Ordinum singuli Nobiles viritim pro se, urbium vero Delegati suffragium, ab urbe sua praescriptum, ferebant: nunc vero delegati ad collegium Ordinum suam tantum, a nemine praescriptam, sententiam ferre, et sola totius regionis commoda considerare jubentur.

Ad conficienda Decreta quondam in causis quibusdam majoris momenti requirebatur, ut sententiae omnium in conventu forent unanimes, v. c. in tributis constituendis, novis privilegiis concedendis, no-

(*g*) REVIUS, *Daventr.* p. 150 *et* 167. DUMBAR. T. III. p. 510.

Digitized by Google

novis praediis nobilibus efficiendis, de jure publico Provinciae, vel etiam jure privato generali immutando (*h*). In causis ordinariis decernebatur per plura suffragia: sed haec ipsa quomodo computanda forent, gravis et longa fuit quaestio, exorta occasione Decreti faciendi super rogatione viri amplissimi *J. D. van der Capellen tot den Pol*, anno 1778, ad abolendas operas rusticorum, Satrapis, sive regionum Praefectis debitas (*Drosten-diensten*). Cui rogationi favebant tres Civitates, eandem rejiciebant cuncti Nobiles, paucissimis exceptis; quos non computandos, quum non tertiam ordinis sui partem efficerent, urgebant Nobiles: Civitates contra, horum a reliquis dissentium sufficere, ne corpus Nobilium tribus Civitatibus oppositum esse dici, et has spondere suo aequare posset, affirmabant; consensum igitur Civitatum cum paucis Nobilibus vincere debere Nobiles reliquos, quamvis fere cunctos. Quam controversiam ulterius exponere non possumus, quod nec opus est, quum ad jus publicum plane abolitum pertineat, et exstent scripta utrimque diligenter confec-

(*h*) PESTEL, *Comment. de Rep. Batav.* §. 316, 319.

facta (*i*). — Longum hoc et acre dissidium a sex delegatis, e sex reliquis Reipublicae Belgicae Provinciis, in quos utrimque partes compromiserant, mense Martio 1785 ita fuit decisum, ut si tres Civitates consentientes vel unicum ex Nobilibus haberet sibi adstipulantem, ea pars numero et suffragiis vincere existimaretur (*k*). Sed nunc lege nova hujus regionis constitutum fuit, ut omnes causae per plura suffragia dirimerentur, sed deliberatio non possit institui, nisi dimidia ad minimum pars sociorum Collegii Ordinum adsit.

Transisalaniae, quemadmodum reliquarum foederati Belgii Provinciarum Ordines, (praeter Hollandos), utebantur honoris titulo *nobilium ac potentium Dominorum* (*Edele Mogende Heeren*), ipsique in fronte Legum et Edictorum suorum sese dicebant *Ridderschap en Steeden, de Staten van Overyssel.* Nunc

(*i*) DUMBAR, *Over het regt van Overstemming ter Staten-Vergadering van Overijssel.*

Deductie voor de Ridderschap (*cujus auctor. vir Cons.* J. G. KNOOP.)

(*k*) PESTEL *in Comm.* §. 317. *Tegenw. Staat.* T. I. p. 304—338.

Digitized by Google

Nunc vero honos ille tituli paulum fuit imminutus, ut sint *nobiles gravissimique Domini* (*Edele grost achtbare Heeren*). Decreta vero promulgantur nomine Gubernatoris Provinciae, facta mentione mandati regii.

Initio cujusque Conventus, Praeses, id est, ut diximus, Praefectus Salandiae, illos, qui nunc prima vice ad Conventum admitterentur, jurare faciebat; cujus jurisjurandi forma variis temporibus varia (*l*), sed postrema haec circiter fuit: supremam Ordinum potestatem tueri, nec minus jura et privilegia religionis publice receptae, et ipsius Reipublicae juxta pactum Unionis Trajectinae, et porro publicam formam regiminis (*m*); non revelaturos in conventu gesta, quae silari publice interesset; denique, a nemine veniam vel dispensationem hujus jurisjurandi vel officiorum illo contentorum rogaturos vel accepturos. Jusjurandum, vel promissio solemnis, nunc a sociis ad Collegium Ordinum accedentibus, praeeunte Gubernatori Provinciae praestandum, invenitur Decreto super Regimine Provinciae Art. 32. et con-

(*l*) v. HATTUM *Gesthied. van Zwolle.* T. III. p. 191.
(*m*) *Tegenw. Staat.* p. 295.

Digitized by Google

continet: ipsos nulla largitione ad hunc dignitatis gradum pervenisse, nec in exercitione muneris pecunia vel donis quidquam esse facturos; porro legem universi regni fundamentalem inprimis, deinde etiam leges ad Provinciam suam pertinentes, esse observaturos, et publica Provinciae commoda omni sua ope esse curaturos.

Ordinum Transisalaniae conventui, vel si conventus nondum haberetur, illorum Deputatis, ab sotis erat, qui et olim dicebatur *Graphiarius*, et nunc ita vocatur; et Praefecto regionis non minus, quam Collegio Ordinum atque Deputatorum adest. — Olim singuli Nobilium Ordini adscripti, quotannis, modo conventibus Ordinum ipsius anni non plane defuissent, ad sarciendas impensas suas de publico accipiebant summam octoginta florenorum: nunc etiam *socii* Ordinum functionem suam exercent fere gratuitam; nisi quod ex aerario publico quotannis summa 2000 florenorum erogetur, inter ipsos ad sumptus itineris et expensas quodammodo sarciendas, dividenda.

V.

Digitized by Google

V.

Denique de ipso munere et potestate Ordinum, aliqua sunt addenda.

Quondam impensas regiminis publici Provinciae suae decernebant ipsi et Provinciae incolis imperabant; sed nunc rogationem super iisdem Regi debent offerre, qui quantum sibi visum fuerit rogationi super universa pecunia publica sequentis anni, Ordinibus Regni Generalibus proponendae, inserit.

Quemadmodum pristinis temporibus, ita nunc etiam, electio Delegatorum ad Conventum Ordinum Generalium competit Ordinibus Provinciae: nunc scilicet eorum, qui in *altero*, quod dicitur *Collegio* (*de tweede Kamer van de Staten Generaal*) fungunturi; et diserte cautum est, ut illi delegati esse possint vel ex numero, vel extra numerum Ordinum Provinciae, et quantumpote ex diversis Provinciae tractibus capiantur. Numerus Delegatorum ad Ordines Generales olim Reipublicae tempore varius fuit, quum tamen omnes unum tantum Provinciae suae suffragium in septem suffragiis, per quae tunc omnia fiebant, efficere possent. — Delegati autem illi debebant esse viri graves et periti (*de gequalificeerdsten en bekwaamsten*)

Digitized by Google

sten), nulli extero principi aliquo modo obstricti, et in quavis re majoris momenti ipsius Provinciae suae Ordines consulere debebant (*n*). Sub forma, quae nunc obtinet, regiminis Monarchici, ad alterum illud, quod diximus, Ordinum Generalium Collegium, quod e numero 110 constat, Transisalania *quatuor* tantum mittit; circa quos praescriptum, ut triginta annos aetatis impleverint, non gradu etiam tertio cognationis vel affinitatis inter se sint conjuncti, et si militia, sive navali, sive terrestri, fungantur, ad gradum magisterii militum (*Hoofdofficier*) adscenderint; locum suum in illo Collegio retinent per tres annos.

In Collegio primario Ordinum Generalium, cujus sociorum numerus intra numerum 40 vel 60, arbitrio regio eligendorum, est definitus, nunc quidem Transisalani *tres* sunt adsciti.

In Consistorium Ordinum Generalium (*Raad van Staten*) cujus erant 12 Senatores, qui viritim suffragia ferebant, *unum* tantum mittebat Transisalania, quem per vices eligebant Civitatum aliqua, et certi tractus Nobiles, quique per sex annos eo in Collegio sedebat. Nunc in concilium ejusdem nominis, quod ad mi-

(*n*) *Tegenw. Staat*, p. 59, 60.

Digitized by Google

minimum 24 viris constare debet, Rex arbitrio suo eligit; ut tamen e singulis regni provinciis, quantum pote, advocentur.

Ad congregatos Ordines de rebus, ad agendum ante scripto propositis, et aliis, quae supervenerint, eo, quem commodum arbitrabatur, ordine referebat Conventus Praeses, sententias rogabat, et Decreta conficiebat.

Caeterum Ordines Provinciae quondam, ut notum est, septimam exercebant partem in omni rerum publicarum Belgicarum moderamine. Hanc autem exercebant per delegatos suos ad Ordinum Generalium Conventum, ad Consistorium Ordinum (*De Raad van Staten*), praeterea ad diversa collegia quae rei maritimae, vel rebus Indicis curandis, erant constituta; cuncta quoque quae pertinebant ad internum regimen Provinciae arbitrio suo moderabantur, salva civitatibus majoribus plena ipsarum libertate domestica. Ordines autem, quoniam in conventu non semper esse poterant congregati, perpetuum relinquebant concilium Delegatorum, sive Deputatorum, quod efficiebant tres Nobiles, singuli e singulis tractibus (*Quartieren*) et tres ex majoribus urbibus, singuli e singulis delegati, quorum omnium functio per tres annos durare

Digitized by Google

solebat, cui Collegio semper aderat Provinciae Graphiarius. Hoc autem Collegium quotidianam regiminis administrationem curabat per se, de rebus majoris momenti referebat ad Ordinum conventum, eumve ipsum convocabat.

Novis nunc legibus, et Reipublicae formis, Ordinibus Provinciarum demandata est executio legum super cura publica cultus divini diversarum Relionum, circa curam institutionis doctrinarum et litterarum, curam pauperum, ad profectus juvandos agriculturae, mercaturae, et industriae artificialis, et quaecunque porro, ad publicam curam pertinentia, ipsis a Rege tribuentur: possunt etiam circa cuncta, quae ad politiam et oeconomiam Provinciae pertinent, constituere et edicere, quae publice utilia esse videbuntur, modo sanctionem regiam ante impetraverint. Ipsorum quoque est, ut componere studeant dissidia, inter diversa Provinciae loca forte exorta.

Reliqua, quae de munere Ordinum, et potestate hic forsitan dici possent, commodius referentur infra ad Caput V, quod est *de regimine politico intra Provinciam.*

Digitized by Google

CAPUT SECUNDUM.

DE TRIBUS COLLEGIIS, EX QUIBUS ELIGUNTUR ORDINES.

Quum praecedente Capite diximus, quondam ex duobus, hodie ex tribus diversis ordinibus sive classibus conscribi Provinciae nostrae Ordines, non abs re videtur, ut circa singulos horum populi Ordinum singulatim aliqua adnotemus.

Equestrem Ordinem in hac Provincia partem regiminis publici a remotissimis inde temporibus habuisse et egisse, docet omnis historiae memoria, ex innumeris documentis de Conventibus regionis publicis, aliaque apud *Revium*, *Dumbarium*, *v. Hattum* aliosque obvia (*o*).

Hic

(*o*) DUMBAR T. 3. p. 510. REVIUS *Dav.* p. 93. 99, 111, 357. V. HATTUM, *Gesch. v. Zwolle* T. 1. Cap. 15. p. 366. *ibidem* T. 2. Cap. 18. p. 61. etc.

Digitized by Google

Hic igitur equestris Ordo in tria Collegia; pro tribus regionis tractibus, descriptus, liberae quoque Reipublicae tempore partem alteram habebat juris summi imperii; et in specie quidem civitatum minorum et pagorum et omnis agri, praeter tres civitates majores, incolas repraesentare videbatur. Requirebatur autem, ut aliquis inter Equites hujus regionis adscribi et conventibus publicis interesse posset:

1°. Nobilitas avita, bene probata.

2°. Religionis Christianae Reformatae professio.

3°. Certa aetas, scilicet, ut ad minimum vigesimum quartum aetatis annum explevissent, et vigesimum quintum ingressi fuissent.

4°. Dominium arcis ejusmodi nobilis (*Havezaten*) quae possessori suo, modo nobili, tribuebat jus electionis in Ordinem equestrem; in quem nemo admittebatur, nisi qui talem arcem haberet (p).

5°. Ut in illo Provinciae tractu, in quo sita erat arx illa, et pro quo tractu Ordini equestri adscribi volebant, possiderent fundos, qui justa aestimatione valorem habebant ad minimum 25,000 florenorum Hollandicorum.

Quod

(p) RACER, *Overijss. Gedenkst.*, T. 2. p. 131.

Digitized by Google

Quod si peregre natus aliquis Nobilis in Ordinem Nobilium hujus Provinciae admitti, et eidem adscribi vellet, non tantum quinque requisitis, modo dictis, satisfacere debebat, sed praeterea probare:

1°. In patria quoque sua, nobiles proprium Ordinem efficere, regiminis publici participem.

2°. In illum quoque nobilium Ordinem patriae suae, Transisalanos Nobiles, si caeteris gauderent ibi porro requisitis, admitti posse.

Sub nova regiminis regii forma, Nobiles diversis in provinciis, proprium aliquod corpus sive Collegium constituere possunt, non tamen necessario constituunt; sed in Transisalania nostra proprium ejusmodi Collegium omnino efficiunt, cui propria lex sive norma constituta, et sancita Decreto Regis *die* 3 *Julii* 1816, secundum quam ad hoc Equitum Collegium pertinent omnes qui tunc temporis inter Equites Transisalanos habebantur adscripti, et in posterum hujus Edicti requisitis satisfacientes adscriberentur, postquam Diploma hujus rei Ordinibus Provinciae fuerit exhibitum; quo facto mox jusibus omnibus et privilegiis Nobilium sint gavisuri,

Digitized by Google

ri, speciatim quoque, ut in Collegium hoc Nobilium admittantur, modo reliquis ad hanc rem requisitis sint instructi. Admittantur porro Nobiles omnes Belgae, qui probent originem suam e gente aliqua nobili, sive nunc nobilibus cujusdam Provinciae adscripta vel adscribenda, vel etiam posthac demum nobilitanda; modo hi etiam reliquis gaudeant requisitis, quae nunc dicemus.

Requisita scilicet illa sunt:

1°. Ut sint indigenae Belgae, et aetate legitime perfecta.

2°. Ut in libero dominio, non simulato, nec aere alieno obligatam, habeant arcem equestrem (*Havezate*), et praedia, intra Provinciam sita, ad valorem 8000 florenorum; vel si non habeant arcem ejusmodi equestrem, praedia aere alieno libera, intra Provinciam sita ad valorem 10,000 florenorum; vel etiam reditum nomini suo in libris aeris alieni publici inscriptum 1000 floren. quotannis: ita tamen, ut uxoris patrimonium prosit quoque marito, non ultra; nec bona parentum juvent liberos, sed v. c. pater et filius, ut in Collegium Equitum admittantur, singuli facultates ejusmodi possidere debeant; quum

olim

olim filius unus, cum patre suo ejusdem arcis nomine in equestrem Ordinem adscribi possit.

Sed in Collegium equestre nequeunt admitti:

1°. Quicunque nondum Nobilitatis decore fuerunt insigniti, vel ut Nobiles agniti.

2°. Quicunque principi alicui externo, ex jurejurando, vel munere publico, sunt obstricti.

3°. Quicunque alterius cujusdam Provinciae Nobilibus sunt adscripti, quamdiu inter illius Provinciae Nobiles computari volunt.

4°. Quicunque propter furorem, insaniam, vel vitam prodigam curatori subditi sunt, qui fidem aeris alieni fefellerunt, vel etiam bonis cesserunt, et qui sententia judicis famosi sunt effecti.

Diximus autem supra, quondam numerum Nobilium, qui in Ordine Equestri, et hinc ad conventus regionis publicos admitti possent, indefinitum fuisse; admittendos enim omnes fuisse, qui et arcem nobilem possiderent, et reliqua haberent requisita: nunc vero ex omni corpore Nobilium 21 tantum viros in Collegium Ordinum Provinciae admitti, per ipsum integrum Equitum Collegium eligendos: ipsam vero eligendi facultatem amittit Nobilis, qui

vel

Digitized by Google

vel a Magistratu civitatis majoris, vel ex Ordine illorum, qui immobilia possident (*Eigenerflen*), ad Conventum Ordinum delegatus, hoc nomine illi Collegio interesse maluerit.

Porro breviter videamus, quomodo in tribus civitatibus hujus Provinciae majoribus, et olim, et nunc, Magistratuum, in specie Consulum, Collegia fuerint, vel nunc sint composita.

Pristinum tempus quod attinet, concinna, sed accurata PESTELII descriptione uti liceat: „Magistratus (inquit) designantur a civibus juratis, quorum Collegia perpetua in singulis civitatibus instituta, eo universe spectant, ut caeterorum civium jura ac commoda iisdem, quos annuatim legunt Magistratibus, commendare studeant, et de quibusdam negotiis cum illis in consilium eant. Jura eorum variant. A sua quisque tribu nominati Ser. Gubernatori indicabantur, et ab hoc aut probabantur, aut alii ex lege cujusque Civitatis habiles creabantur. Hujus quoque erat, Magistratus, quos iidem viri nominaverunt, probare, vel alios idoneos, uti e Republica fore judicet, constituere."

Consules autem habebantur Daventriae et Zwol-

 les

Digitized by Google

lae 16, Campis 14 numero, qui sive Decreto suo sive in gravioribus causis cum juratis illis (*Gezwoorne Gemeenten*) communicato, plenam in urbe sua potestatem, sive politicam, sive etiam juridicam, criminalem aeque ac civilem, exercebant.

Longe minor sub regimine Monarchico Magistratuum urbanorum potestas, generali regiminis formae, per singulas tamen Provincias, et in singulis civitatibus, propriis Constitutionibus, auctoritate regia sanctis vel sanciendis, definitur iisque subest; quibus etiam Edictis describitur norma et modus, quo per singulas urbes, ipsarum nomine delegati ad Collegium Ordinum provinciale, nominandi sint et eligendi. Habentur autem singulis in civitatibus Collegia Electorum, sed semel tantum quotannis per Magistratum urbanum convocanda, nec ad aliud quid, nisi ut loca, quae in Magistratu urbano hoc anno vacare coeperint, vel illorum, qui ex lege civitatis annos functionis suae compleverint, suppleant. Ipsi hi Electores constituuntur ad vitam, et vacantia in ipsis loca supplentur pluribus suffragiis civium urbanorum; in quibus tamen, tam ad hoc suffragium ferendum, quam ut inter Electores esse possint, requiritur certae

pe-

Digitized by Google

pecuniae in vectigalia publica contributio, cujus modus in singulis civitatibus lege municipali definitus est. Quae suffragia semel quotannis feruntur per tabellas, domi scriptas, et rite signatas.

Tres autem civitates majores hujus Provinciae conjunctim quondam alteram summi Imperii Provinciae partem efficiebant, ut supra diximus (*q*). Nunc autem urbes alteram ex tribus Collegii Ordinum partibus efficiunt; ita tamen, ut numerus delegatorum sit auctus: quum olim fere quatuor tantum singulis ex urbibus ad Conventum Ordinum delegari solerent; nunc autem e civitatibus tribus conjunctim mittantur 21, numero tamen singulis civitatibus inaequali tributo, quem supra Capite primo, Art. 3. pag. indicavimus.

Tertius nunc ex nova regiminis forma accessit Or-

(*q*) Sic in sanciendo jure Aggerum Salandiae anno 1308, et in jure statutario Davidis Burgundici 1457, tres civitates, Daventria, Campi, et Zwolla cum Equitibus et Nobilibus, et ipso Episcopo de Republica constituunt. Vid. REVIUS *Dav.* p. 93, 99. *etc.* DUMBAR *Anal.* T. 2. p. 234.

Digitized by Google

Ordo illorum, qui fundos possident, qui quondam proprium regiminis publici Ordinem non efficiebant, sed quorum loco fungebantur Nobiles, qui simul immobilium possessores satis divites esse debebant. Sed v. c. jam olim in Provincia Frisia fuerat receptum, ut ex 30 Provinciae tractibus minoribus (*Grietenyen*), e singulis nobilis unus, alter vero fundorum possessor etiam plebejus, ad Conventum Ordinum mitteretur. Hi delegati ex fundorum possessoribus nunc suffragiis ab ipsis fundorum possessoribus ferendis eliguntur, per tres tractus Almeloae, Daventriae, et Zwollae, in quos hunc in finem Provincia fuit divisa. Intersunt autem ex hac etiam classe Collegio Ordinum viri viginti et unus; ita ut omme Collegium Ordinum Provinciae nostrae constet ex 63. Sed de ipsa hujus classis delegatorum electione per illos, qui suffragii ferendi jure gaudeant, facienda, in Capite praecedenti Art. 3°. satis dixisse videmur, quae hic repetere necesse non est.

CA-

Digitized by Google

CAPUT TERTIUM,

DE COLLEGIO DEPUTATORUM ORDINUM.

Collegium Deputatorum Ordinum in hac quoque Provincia perpetuum fere esse coepit sub finem saeculi XVI. partim quum Generalis Ordinum conventus congregatus, suspicionem et metum incuteret Gubernatoribus Hispanicis, unde paucis de numero suo Delegatis intermedio tempore inspectionem publicae rei demandabant; partim quum, fervente bello pro libertate gesto, res ipsae ferrent, ut semper adessent, qui in rebus incidentibus consilia celerius capere possent, nec Ordines ipsi semper esse possent congregati. Post varios hanc in rem conatus modosque circa Deputatorum electionem et numerum,

Digitized by Google

et ipsorum deliberandi modum, quos hic latius referre parum attinet, tandem, procedente tempore, usus ipse certiorem aliquam formam hujus rei introduxit; quae lege regiminis Provinciae, anno 1675, per Guilielmum tertium, Principem Auriacum, introductâ, sic fuit confirmata, ut sex forent Deputati, singuli ad annos tres, tres ex equestri Ordine, tres e Civitatibus; ad quos Nobiles e singulis Provinciae tractibus, tres quoque Civitates majores, quadruplicem numerum Gubernatori offerrent, ex quo ipse unum eligeret: Nemo vero poterat offerri vel eligi, ut in hoc Collegio, et quasi Consistorio Ordinum sederet, nisi qui communibus requisitis, ut in ipso Ordinum Conventu adesset, foret instructus; praeterea excludebantur, qui perpetuum aliquod Provinciae munus vel officium gererent; nec etiam simul in eo Collegio sedere poterant, pater et filius, vel fratres, sive cognatione, sive affinitate conjuncti.

Congregabantur olim per semestria tempora in tribus civitatibus majoribus; deinde per integros annos in eadem urbe et eodem ordine, quo loco conventus Ordinum ipse ejus anni habebatur. Praesidis vices per sex Deputatos, et per singulas hebdomades alternabant.

Ex

Digitized by Google

Ex nova regiminis forma, praeter Provinciae Praefectum, qui semper Collegii praesidium gerit, novem sunt Deputati; tres e singulis classibus, e quibus nunc Ordines ipsi componuntur. Secundum Art. 35. formae regiminis Provinciae nostrae, quotannis electio nova facienda possit videri; circa quam porro ibidem constitutum invenitur, ut singulae classes Ordinum electionem Deputatorum faciant per vices, describendas certa ratione, pro numero personarum, ex illis classibus ad ipsum Ordinum Collegium majus delegandarum: et praeterea nunc Art. 36 dictae legis cavetur, ne Deputati inter se in tertio etiam cognationis vel affinitatis gradu sint conjuncti; quae tamen prohibitio non obtinet quod ad ipsum Praefectum Provinciae.

Potestas et officium horum Senatorum pristino tempore Reipublicae Batavae diligentius denuo descriptum fuit lege 8. Martii 1708, cujus summam referre liceat verbis celeberrimi PESTELII (r): „ Indicant

(r) *Comment. de Republ. Batav.* §. 318; Porro de historia et constitutione, et ipsa functione pristina hujus Collegii plene agetur in *de Tegenw. Staat van Overijssel*, C. 8. p. 424—494.

Digitized by Google

cant consilia, praefinitis deliberationum capitibus, coram Salandiae Praefecto, aut si absit, ipsum proxime sequenti Satrapa; interim rebus ad Rempublicam universam pertinentibus provident.

„ Curant ut, qui officia publica jussu Ordinum cum potestate ab his accepta, intra fines regionis, aut extra eos gerunt, illi omnes jusjurandum jurent, quod ad elidendam ambitus suspicionem spectat. Prospiciunt aerario, videntque, ut fraudes vitentur, tributa legitime exigantur. Jurisdictionem in causis de neglectu, aut violatione legum ad tributa pertinentium exercent."

In nova hujus Provinciae lege Art. 34 circa horum Deputatorum officium generatim dicitur; penes hocce Collegium, sub praesidio Gubernatoris Provinciae, rerum directionem fore (*het beleid der zaken*), tam illo tempore, quo congregatum fuerit universum Ordinum Collegium, quam intermedio tempore cessantis Ordinum Conventus.

C A-

Digitized by Google

CAPUT QUARTUM,

DE GUBERNATORE, SIVE PRAEFECTO PROVINCIAE.

In vetere regiminis forma primarium in Provincia nostra locum dignitatis, et alicujus potestatis, tenebat Praefectus, sive Drossardus, primae regionis Provinciae nostrae, scilicet Salandiae. *Drossardi* nomen, quod olim dicebatur *Drossatus*, et unde formatum vernaculum *Drost*, nomen numeris publici deinde factum, origine *Dapiferum*, primarium scilicet in Aula regia et honoratum ministrium designasse dicitur (*s*). Salandiae Drossardus etiam prae-

(*s*) RACER, *Overijs. Gedenkst. T.* I. *Voorberichs. p.* 7, DUMBAR, *Anal. T.* III. *in not. ad Fresing.* p. 524.

Digitized by Google

praecipuo aliquo honore dici solebat *Land-Drost*; quoniam reliquos regionum, sive majorum, uti Tubantiae et Vollenhoviae, sive minorum, Isselmudae et Haxbergae, Praefectos supereminebat: minore tamen distantia, quam deinde Napoleon, Imperator Gallorum, in Provincia nostra Praesidem, sive Praefectum unum, et sub illo tres Praefectos minores, Almeloae, Daventriae, et Zwollae constituit. Drossardus igitur, sive Satrapa Salandiae convocabat Conventus Ordinum, eosque moderabatur, illo modo, quem in praecedentibus diximus, ejusque officium plenius descriptum fuit propria mandati formula constituta d. 8°. Martii 1705. Requirebatur autem ex ipsis Statutis Transisalaniae Lib. I. Tit. 1. Art. 1. in omni Drossardo, Judice, vel Sculteto, „ut forent indigenae, ex justo matrimonio nati, bonae et honestae existimationis, facultatibus rei domesticae instructi, aliquantum versati in jure Provinciae, et annos aetatis nati 25 (ubi tamen postremus coeptus vulgo habebatur pro completo); praeterea Religionis Reformatae, et jusjurandum sibi praescriptum praestare non recusent."

Hodie Provinciam, nomine et mandato Serenissimi

Re-

Digitized by Google

Regis, gubernat Delegatus regius, qui Gubernator (*Gouverneur*) dicitur, qui constituitur arbitrio Regio, convocat Collegium Ordinum, eique et Deputatis Ordinum perpetuo praeest, et si quando paria utrimque suffragia dissentiant, ipse suo suffragio rem decernit; praeterea regimen Provinciae insigni potestate hic Praefectus exercet, medius quippe positus inter ipsum Regem ejusque primarios Administros, et inter suae Provinciae incolas. Propria vero muneris descriptio continetur mandati formula, quam mihi videre non contigit; quare ad sequens caput transire debeo.

Digitized by Google

CAPUT QUINTUM,

DE REGIMINE POLITICO INTRA PROVINCIAM.

Reipublicae Belgicae tempore vicariam summi Imperii potestatem exercebant Ordinum Deputati, sive Delegati, de quibus diximus in Capite tertio. (*t*) Provincia in tractus illos tres, sive Praefecturas majores, aliosque minores, quas etiam supra diximus, erat divisa, praeter tres Civitates majores. Ordinum igitur, sive generalis Ordinum Conventûs, sive Deputatorum, Decreta et Edicta mittebantur ad quinque intra Provinciam Praefectos, et Judicem Hasseltanum, ad tres civitates majores et oppida Hasseltum

(*t*) PESTEL, *Comment. de Republ. Batav.* §. 318.

Digitized by Google

tum et Stenovicum, et ad Dynastas ditionum Almelo et Salk. Erant autem singulis oppidis, etiam minoribus, sui Magistratus, qui politiam loci Scurabant, quemadmodum pagis praerant Judices sive Sculteti. Cura aggerum specialibus Collegiis erant demandata.

Nunc etiam regiminis intra Provinciam administratio, et omnis politiae cura, et legum publicarum executio, pertinet ad Provinciae Praefectum regium, et ad Conventum Ordinum, et ad Ordinum Deputatos, quomodo latius jam diximus in Capite 1°. et in Capite tertio. Civitatibus quoque singulis, et pagis, Magistratus praesunt, sive Collegia Consulum, (numero tamen longe minore quam olim,) sive Sculteti in pagis, qui domesticam illius loci curam exercent; ita ut libera, nec Ordinibus Provinciae subjecta potestas trium civitatum majorum nunc cessaverit. Nam et in specie circa reditus, et pecuniam singularum civitatum et locorum, cavetur in Lege fundamentali regni Art. 156—158, ut Magistratus Ordinibus Provinciae suae exponant, quantum impensarum sibi faciendum existiment, et quosnam habeant, vel sibi concedi cupiant reditus; ne vectigal, vel tributum imponant,

Digitized by Google

quod Rex non diserte concesserit: cujusmodi vectigalia petitionem prius mittant ad Ordines Provinciae suae et necessitatem exponant; neque vectigalia concedantur, quae locis vicinis, vel industriae fabricatis, vel terrae fructibus, aliarum patriae nostrae partium sint onerosa. Separatim porro cavetur Art. 160, ut Magistratus diversorum locorum commoda civium suorum proponant et commendent regiae Majestati, et Ordinibus Provinciae suae. Ceterum singulorum locorum regiminis administratio domestica ibidem Art. 154 separatim componenda et constituenda dicitur, formis, pro locorum indole et more pristino et commodis propriis, seperatim describendis, consultis Provinciarum Ordinibus, et a Rege sanciendis.

C A-

Digitized by Google

CAPUT SEXTUM;

DE JURISDICTIONIS EXERCITIO.

Jus privatum Transisalaniae definitum erat olim, donec anno 1811 Gallica jura nobis obtruderentur, statutis Provinciae Generalibus (*Land-Recht*), quae, post leges latas ab Episcopis quibusdam, de quibus dixi in Introduct. sanciverant Ordines anno 1630, et quarum editio nova anni 1724 praecipuas novas leges habebat adjunctas; porro jure Municipali singularum urbium, quale jus Daventriae sancitum erat et promulgatum anno 1642, Zwollae anno 1794 denuo constitutum et in lucem editum, Campis vero nunquam auctoritate publica decretum editumque fuerat. Habentur etiam Statuta Stenovicensia, sed typis non edita, et Statuta Almeloae apud RACER, *Overijsselsche Gedenkstukken* Tom. V; jura quoque aggerum, inprimis Salandiae propria, erant vulgata: jus circa homines, minus plena libertate utentes, qua-

Digitized by Google

les inprimis erant in Tubantia, additum erat Statutis Transisalaniae Libro II. Tit. 26, et in propria lege in Statutorum editione nova: *ad d. Lex d.* 22 *Nov.* 1752.

Judicium Supremum perpetuum totius Provinciae soli Transisalani, in omnibus Reipublicae Belgicae Provinciis, non habebant. Episcopus quidem *Davides Burgundus* constituere conatus erat supremum Tribunal, quod dicebatur *de Schyve*, ad quod causae omnes, tam spirituales, quam saeculares, ab omnibus, sive superioris, sive inferioris dioeceseos suae judicibus volebat devolvi; sed quum huic instituto valde refragerentur nostrae inprimis Provinciae incolae, maxime civitates majores, jam anno 1477 hoc institutum deserere fuit coactus.

Postea Carolus quintus, ejusque filius Philippus, proprium judicium supremum, quod ex ipsorum judicium titulis dictum invenitur: *Kanceler en Raden*, instituere conati fuerunt. Sed hoc etiam, veluti libertati civium, vel potius privilegiis urbium contrarium, odio habitum fuit, et brevi duravit (*u*). Deinde igitur quotannis Judicium provoca-

(*u*) REVIUS, *Daventr.* p. 124 *et* 33. *et seq.* CHALMOT *in praef. ad Winhof Landrecht van Averijssel, et Scriptores ibi citati.*

Digitized by Google

tationis, quod dicebatur *de Klaringe*, habebatur Daventriae, ad quod veniebant Nobiles quotquot vellent, et Legati Daventrienses quatuor, Campenses bini, et totidem Zwollenses; ita tamen, ut aequa foret vis sententiarum, quae a parte Nobilium, et a delegatis urbium dicebantur. Ad hoc judicium per appellationem deferebantur sententiae ab inferioribus judicibus latae, paucis exceptis, de quibus in Statutis Lib. I. Tit. 19; sed non quae in tribus majoribus urbibus erant pronunciatae. Eodem loco et tempore habebatur etiam judicium de causis civilibus Nobilium personalibus (*v*).

Jurisdictionis ordinariae causa omnis Provincia dividebatur in quinque Praefecturas majores, quibus praeerant Satrapae (*Drosten*), quorum nomina jam supra habuimus. Ipsi Satrapae praesidebant judiciis de possessione, et de causis criminalibus. Reliquis judiciis praeerant Magistratus minores, sive Consules oppidorum, sive Judices vel Sculteti cum duobus Assessoribus (*Keurnoten*) in pagis.

Hi

(*v*) *Vide* PESTEL *in Com.* §. 324, 325.

Hi Magistratus praesidebant quidem judicio, regebant disceptandi Ordinem, litem instrui curabant, ut sententia ferri possit; sed ipsi non ferebant sententiam, nisi in causis minoribus pretium vigenti florenorum adtingentibus.

Reliquae controversiae in scriptis, utrimque tractatae, postquam in causa conclusum erat, transmittebantur a Magistratibus ad Jurisconsultos, unum vel plures, pro causarum momento, qui causam cognoscerent, et sententiam suam ferrent in scriptis. Debebant autem hi JCti meitri partium esse addicti, graduo honoris Academici ornati, in Transilvania habitantes, et ibi per triennium ad minimum ad praxin juridicam exercendam admissi fuisse. Hi decisionem suam, rationibus diligenter munitam, scribebant, et obsignatam mittebant ad judicem, una cum scriptis et actis controversiae. Tum judex partes iterum ad se citabat, ut viderent aperiri, et sententiam ibi additam, pronunciari. Scribebatur enim sententia ab illis Jurisconsultis, nomine Judicis illius, et sine ulla mutatione, veluti illius Judicis auctoritate, erat pronuncianda.

Ab his igitur sententiis judicem inferiorum paga-

no-

Digitized by Google

norum appellari poterat ad judicium illud annuum Daventriae habitum, *de Klaringe*, de quo supra diximus. A sententiis, quas pronunciarunt judices in oppidis minoribus, appellantur civitatum primariarum Magistratus, ab horum vero judicatis non ulterior dabatur provocatio.

Cives trium civitatum majorum gaudebant hoc jure praecipuo, ut ruri non possint detineri arresto, nisi quis hoc jus suum expressa conventione demiserit, aut inveniatur in ipso loco contractus.

In finibus hujus Provinciae pauca reperiebantur agrorum spatia, in quibus pars jurium imperantis, et imprimis jurisdictio, erat in privatorum patrimonio, vulgo *Heerlijkheden*. Ejusmodi imprimis erat Dynastia Almeloensis, cui, quod testatur etiam PESTELIUS multa ab antiquo jura adsignata erant eximia (*w*).

Judicia specialia certarum causarum erant feudalia; de quibus videantur Statuta Transisalaniae, Libro II. Tit. 24. De fraudatis vectigalibus publicis, de quibus agnoscebat Collegium Deputatorum, cui et nunc aliqua illius jurisdictionis pars jure speciali tributa est.

Ec-

(*w*) PESTEL *Com.* §. 321, 322.

Digitized by Google

Ecclesiastica, coram Synedriis, classibus et Synodo provinciali; hominum propriorum, sive glaebae adscriptorum, de quibus in Statutis Transisalaniae, locis supra citatis, et Communitatum, quae vulgo appellantur *Markengenootschappen*, de quibus universitatibus doctam dissertationem juridicam inauguralem scripsit vir Ampl. A. J. H. W. VAN HEECKEREN *tot Netelhorst* Traj. ad Rhenum Anno 1807, qui de judicio Marcgali, Capite secundo §. 6. p. 39 et seq. agit.

Judiciorum de criminibus forma alia erat in tribus civitatibus, alia in oppidis minoribus, alia intra terminos agrorum, quibus Satrapae praeerant. Magistratus enim in tribus civitatibus primariis jurisdictionem criminalem, aeque ac civilem exercebant, sine ulla provocatione; Hasseltanus de criminibus cognoscebat; Stenovicensus vero conjunctim cum Satrapa Vollenhoviensi. Judicia criminalia coram Satrapis, sive extraordinario, sive ordinario modo habenda describit. PESTELIUS *in Comment. de Republ. Bat.* §. 323. Satrapis non licebat cum facinorosis transigere super delictis, quae capite vel tergo punienda forent, excepto perjurio; transigere licebat de maleficiis, quae

Digitized by Google

mulcta legibus definita, aut arbitraria, erant coercenda. A sententiis latis super delictis poena corporali coercendis neque accusatori publico, neque reo appellare licebat.

Haec autem omnia hoc in Capite referre tantum potuimus de conditione juris, et forma judiciorum, quae obtinebant tempore liberae Reipublicae Batavae; nam quae nunc e dominatione Gallorum exstitit, harum rerum conditio, operae pretium non esse videtur, ut accurate describatur, quum lex fundamentalis Regni Belgici Art. 163 jubeat et promittat, introductum iri codicem legum communium et universalium juris civilis privati, mercaturae, juris criminalis, ordinationis tribunalium juridicorum, et modi procedendi. Quae res, quum adhuc praeparetur et nondum sit constituta, hac de re etiam nihil adhuc dicere possumus. Quare huic Capiti disputationis nostrae, et in universum omnibus, quibus quae de jure publico Provinciae nostrae tam vetere, quam hodierno, leviter et summatim scripsimus, impositus hic sit

F I N I S.

Digitized by Google

THESES.

I.

Distinctionem illam, quam nonnulli Doctores statuunt, in procuratorem, quem vocant *cum libera*, et *sine libera*, non admittimus.

II.

Judex judicare non debet contra *acta* et *probata*, etiamsi conscientiam suam rectius instructam esse credat.

III.

Si quis data opera (non casu fortuito) thesaurum in fundo alterius invenerit, jure Francico totus thesaurus adquiri videtur Domino fundi, nihil inventori.

IV.

Digitized by Google

IV.

Si contrahentes, ratione nuptiarum alterius potestati subjectae sunt, jure hodierno promulgationes fieri quoque debent in loco domicilii ejus, cujus potestati subsunt.

V.

Fides, hostibus data, servanda est.

VI.

Boni Principis est tolerare omnes Religiones; quod etiam recte constitutum in Art. 191 et 192 nostrae legis fundamentalis.

VII.

Recte dicit Cl. GROS *im Lehrbuch der Philosoph. Rechtswissenschaft*, §. 171. „*Mit dem Tod* „*eines Menschen hören alle seine Rechte, mithin* „*auch seine Eigenthumsrechte auf, daher werden* „*die Güter eines Verstorbenen herrenlos. Es* „*giebt also von Natur kein Erbfolggrecht, d. h.* „*kein ausschliesendes Recht gewisser Personen* „*(z. b. der nächsten Verwandten) zur Erwer-*

„*bung*

Digitized by Google

Digitized by Google